

Non valido quisquam terram nunc scindit aratro  
     Assignat nullo limite fossor humum.  
 Sed quassant nostras & bella domestica vires  
     Et stetit in tuto nulla carina loco.  
 O quoties dixi nos tempora vivere dura,  
     Expendens quo sint res, fuerintq; loco.  
 Multaq; credibili tulimus Majora, ratamque  
     Quamvis acciderint vix habitura fidem.  
 Felix ergo dies niveo signando Lapillo  
     Quo Emda Urbs polliciti pondere verba dedit.  
 Emda Laborantis veri Stabilissima Nutrix  
     Quæ profugos fovit, proq; parente fuit.  
 Inclita quæ assiduo collapiaq; valla restaurat  
     Dejecta & nuper quæ jacuere situ.  
 Si non impediunt diversa negotia rerum  
     Speramus cuncti, tempora grata brevi.  
 Omnia mutentur facies siet altera rerum,  
     Ut lachrymas pellat fœmina virq; Gravis.  
 Nullius ast felix conatus & utilis unquam,  
     Consilium si non detq; juvetq; Deus.  
 Sancte Deus fer opem, profer tua robora tandem  
     Declarans qui orbem, judicet esse Deum.  
 Cernis ut immenso miseri jactamur in alto,  
     Nostraque paulatim naufraga Puppis eat.  
 Adsis perpetuum nostris votisque Senatus  
     Adnue tu ceptis, O Pater Alme Deus!  
 Te Ductore carens dubiis se credere ventis  
     Et sua non noto aula Carina mari.  
 Te Duce dulce caput faciles tollemus in auras  
     Sit tua nunc votis auris aperta bonis.